



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

DE  
CHRISTIANA  
LIBERTATE  
LIBER PRIMVS.

PROOEMIUM.



QVONIAM libertatis amantes sumus omnes, nec quisquam est, qui non in seruitute vitam sibi acerbam putet: quænam vera libertas, quæque maxime seruitus existimanda sit, digna mihi res esse visa est, in qua cognoscenda elaboretur. Praesertim cum & libertatis in diuinis literis mentio frequens occurrat, grauesque de ea sententiæ habeantur; & sub hoc blandissimo nomine iam olim soleat hostis noster infelicissimam seruitutem incautis fidelibus propinare. Non enim nescit iucundam esse mortalibus libertatem, cuius gratia comparandæ, tot urbium suavitates euersiones, adeoque belluina inter hominès sæpenumero bella commouit. Quemadmodum enim pacem homines sic amant, ut eam & grauissimis turbulentissimisque bellis sibi querendam parent: ita nullam cuiuslibet incommodi seruitutem, nullum periculum aut facinus recusant, quo optata libertate potiantur. Unde & illud est:

Virg. lib 6.  
Æneidæ

*Natosq; pater noua bella mouentes*  
*Ad penam pulchra pro libertate vocabit*  
*Infelix, ut cunque ferent ea facta minores.*  
Quamquam uersu consequenti consolatus est infelicem:  
*Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.*  
Hæc enim illa duo sunt, Libertas, & Cupiditas laudis  
humanae, quæ ad facta compulere miranda Romanos.

A Atque

Atque utinam pro vera libertate adipiscenda, vel paulo minor opera sumeretur! non tot miseranda preterita seruitute omnis ætas videre cogeretur. Quòd si pro libertate moriturorū, & cupiditate laudum, occidi filij à patre potuerunt: quid magnum est, si pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis, & mortis, & diaboli dominatu liberos reddit: non cupiditate humanarum laudum, sed charitate liberandorum hominum: non à Tarquinio Rege, sed à dæmonibus & dæmonum principe: non filij occiduntur, quod difficilius est, neque necesse est; sed terrena omnia pro nihilo ducuntur, & Christi pauperes inter filios computantur? Verùm plerique mortales cum & quid sit expetendum teneant generatim, & ubi hoc verum sit, magna cæcitate non videant; studij totius cursusque errore labuntur. Sectantur omnes sanè libertatem; sed quæ sit tandem vera libertas, & ubi quærenda sit, per pauci intentæ animi cura considerant. Est enim & falsa & fucata libertas, seu splendida seruitus, cuius vinculis dum se ultro multi ac libenter innectunt, nunquam miseram se seruitutem subiisse, nisi serò nimis intelligunt. Cuiusmodi hominibus tanquam cæca in nocte periculose nimis errantibus, Evangelicæ & Apostolicæ prædicationis luce benignissime sapientissimeque diuina miseratio consuluit, veramque libertatem ostendit. Cuius ratio quoniam perspecta satis esse nemini potest, nisi & conditionis primæ dignitas, & ruinæ seruitutis que in quam decidimus, magnitudo probè cognita habeatur: idcirco de varia multiplicique generis humani seruitute prius, post de libertate his in libris differendum nobis tractandumque putauimus: eo sanè duce atque adiutore qui nos in libertatem asseruit; de quo scriptum est, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

*Ioh. 8.*

CAPVT